



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 4. An Conscientia invincibiliter erronea non tantùm excuset à peccato,  
sed etiam dici possit verè Conscientia & formalis regula operat[i]onis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

*Teril.* autem sumit latiùs pro Ethicè recta, five sit Physicè recta five non, hinc secundùm *Teril.* conscientia recta sub se comprehendit invincibiliter erroneam, consequenter conscientia erronea, secundùm ipsum, non debet subdividi in vincibilem & invincibilem, sed tantùm partim in erroneam Physicè & Ethicè, partim in erroneam non Physicè sed Ethicè tantùm, quia nempe temeraria est, uti n. 10. dictum est. Et hæc notanda fuerunt pro solvendis difficultatibus postea proponendis.

Q. 3. *An dari possit conscientia invincibiliter erronea, maximè circa jus natura.* R. Potest, uti pluribus ostendetur à n. 719. & 720.

Q. 4. *An conscientia invincibiliter erronea non tantùm excuset à peccato, sed etiam dici possit verè conscientia, & formalis regula operationis.*

R. Negat *Elizalde* in doctrina morum in append. q. 9. item *Camargo* in Regula honest. mor. p. 1. l. 2. contr. 1. à n. 33. Sed rectè cum communi affirmat *Terillus* in Regula q. 35. assert 1. Ratio est I. quia omne iudicium hìc & nunc invincibiliter proponens regulam objectivam, five voluntatem Dei saltem permittentem, verè dicitur conscientia & formalis regula operationis honestæ, five iudicium illud sit verum five falsum, cùm enim omnis honestè operans agat secundùm regulam objectivam, debet habere iudicium proponens illam, ratione cuius iudicii honestas etiam refunditur in actum, uti à n. 14. dicitur, ergo hoc iudicium est verè conscientia & formalis regula, quamvis non sit conscientia recta, five vera materialiter. II. Iudicium verum, secundùm *Eliz.* est conscientia & formalis regula, ergo etiam invincibiliter erroneum, quia æquè proponit objectum sub ratione boni, æquè applicat regulam objectivam, æquè regulat & dirigit, ergo.

Q. 5.